



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX**

In Assumptione B. V. Mariæ Paraphrasis lectionis Ecclesiastici capite XXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

qui autem seruitutis excusserit iugum, distribuit eas ut Dominus. Hoc enim interest, diuitias habere, & diuitijs seruire: ijs si uti scias tibi seruiunt: si uti nescias, illis seruis. Itaque dilectissimi, ne sim prolixior, contemnamus diuitias, Christi paupertatem sectemur, cogitemus diuitias perdere animam, si non rectè dispensentur sciamus eas non veras, sed falsas opes esse. Solæ nanque virtutes, veræ diuitiæ sunt. Attendamus ut mentem deprimant, quam breuis & fallax sit vita præsens, quam innumera pariat mala diuitiarum amor, quam non expleant animæ sitim quantumuis immensæ opes mundi, quam turpiter & profusè sæpius ab alienis concoquantur. & quod pauca necessitati sufficiant, quod nudi hinc exhibimus, & cuncta alijs fortè extraneis & ingratis relinquimus, quod rerum nostrarum non domini, sed dispensatores simus. Horum diligens consideratio faciet nos ad contemnenda præsentis vitæ bona, & præstandas elemosynas alacriores, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto est gloria sempiterna, Amen.

Diuitias habere ac diuitijs seruire quid differant.

Diuitiæ veræ ut sint solæ virtutes.

IN SOLENNITATE ASSUMPTIONIS GLORIOSISSIMÆ SEMPERQUE VIRGINIS MARIE LECTIO  
libri Ecclesiastici, Capite XXIII.

**N** omnibus requiem quaesivi, & in hereditate Domini morabor. Tunc præcepit: & dixit mihi creator omnium: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabitabit, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Hierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partibus Dei mei hereditas illius, & in plenitudine sanctorum decentio mea. Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi Cypressus in monte Sion: quæ palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rose in Hiericho. Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi. Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

**V**t alias quoque dixisse me memini nihil obstat, si ea quæ capiti nostro Domino Iesu Christo tribuuntur, etiam de membris illius, quantum fas est & congruit, intelligantur. Itaque licet tota hæc lectio speciatim ad Dei sapientiam pertineat, potest tamen absque vlla absurditate ad matrem virginem pia interpretatione accommodari: quæ ut est sanctitate & dignitate filio suo proxima, ita præcipue illi conueniunt præ cæteris, quæ hæc lectione continentur. At ergo virgo intemerata: In omnibus requiem quaesivi, omnium pacem & quietem sempiternam summè desiderauit, atque ut à vitiorum perturbationibus liberi, secunda & tranquilla mente seruiant Deo creatori suo: idque ut possint exemplo, precibus, auxilio & ope eos adiungere non desino: & in hereditate Domini, sancta Ecclesia Ca-

T. VI  
22

tholica ex omnibus nationibus confecta morabor perpetuo illis assistendo. Vel, in hereditate Domini, quæ est gloria sempiterna, modo quidem dum adhuc vivo certa spe, defuncta autem, re ipsa & corpore & anima sine ulla sine morabor. Dumq; ita requiem optassem, præcepit & dixit mihi creator omnium qui quidem vt me sua benignitate creare dignatus est, ita ineffabili misericordia propter hominum instaurandam salutem etiam intra corpusculi mei conclaue quiescere, & humanam sumere naturam voluit. Inquam præcepit mihi, vt in Iacob populo Iudaico ad fidem conuerso habitarem, meisq; verbis, exemplis & precibus eis quoad possem prodessem, & in Israel, Deum contemplantibus hereditarer, facta eis ceu norma & exemplar perfectæ contemplationis: & in electis eius mitterem radices, id est, habitus virtutum, ex quibus deinde optimæ & saluberrimæ actiones ceu rami ex radicibus proficiscerentur. Voluit enim Deus me suo populo præferre totius sanctitatis exemplar, vt multis prodessem, quæ omnibus salutem genui, & tanto sit mihi auctior gloriæ corona, quanto ex me plures acceperunt salutis exempla & adminicula. Ita ergo in Sion populo Deum ac diuina speculari firmata sum, facta eis constantissimum virtutum omnium exemplar, & firmissimum apud Deum præsidium & in ciuitate sanctificata, quæ est Ecclesia militans, quæ ex multis constat fidelibus Dei gratia sanctificatis, sicut ciuitas ex multis ciuitibus in vnum collectis similiter requieui, dulcissima contemplationis quiete, & felicissimo diuinorum excessuum somno aliæ due recreata. Habuit enim virgo sacratissima animum ab omni diuinæ contemplationis impedimento absolucissimum. Vnde quoties voluit, totam se in Deum recipere potuit, quiescens & obdormiens in illo suavissimo mentis excessu, quem capere non possit creatus vllus intellectus. Et in Hierusalem cælesti potestas mea. Quid non possit mater omnipotentis Dei? Quis vel angelorum vel hominum illius ausit detrectare imperium, cuius filius esse dignatus est conditor hominum & angelorum? Potest ne quicquid Deus Pater negare genitrici Filij sui, aut Filius amantiſſimæ matri suæ, aut Spiritus sanctus præclarissimæ sponsæ suæ? Rectè igitur vocamus eam reginam angelorum & mundi dominam quoniam illius imperio subiacent creature omnes. Nemo est in tota cælesti Hierusalem, qui non promptissimus sit ad exequendam voluntatem matris Dei. Et radices virtutum mihi in populo Christiano diuinis charismatibus mirificè honorato, & cælestibus donis ac virtutib; copiosissimè ornato: cuius hereditas & spes omnis est in cælesti patria, vbi sunt mationes multe ceu partes & portiones Dei, distribuentis unicuique pro meritis singulorum. Qui enim verè sunt Christiani, eo totà suam vitam referunt, vt possint cum Deo suo in cælis semper viuere non autem vt temporaria quauis mercede aſſiciantur. Et in plenitudine sanctorum perpetua commoratio & detentio mea. Siquidem matri Dei optima quæq; bona cælestis patris attributa sunt, & plenissima ac perfectissima post Filij beatitudine perfruitur. Sicut enim præ creaturis omnibus totam se illi gratiæ plenitudo infudit, ita etiam nunc plenissima gloria potitur. Sicut cedrus in Libano exaltatur, ita ego quantumuis mundas animas fama celeberrima, meritorum dignitate & donorum excellentia antecedo: & quasi cypressus per summam & inuiolabilem integritatis incorruptionem in monte

Contemplatio B. Mariæ virginis quæ fuerit alius summa.

Mariæ virgo vti iure dicitur regina angelorum & hominum.

Ioan. 14

Gloria in cælis quanta præstita B. Mariæ virginis Dei patris.

monte Sion, id est, Ecclesia exaltata sum Quis enim vel in cælis, vel terris audeat ad matris Dei aspirare gloriam, cuius odor virtutum & optimæ ex-  
 istimationis per cælos omnes terrasq; latissimè diffusus est, & incorruptio  
 ac integritas omnem creatam vincit puritatem? Quasi palma exaltata sum  
 in Cades, perpetuam retinens inter quævis aduersa & prospera virtutum vi-  
 riditatem mentisq; serenitatem, nec elata prosperis, nec depressa aduersis:  
 & vt rosæ Hiericho cæteris floribus antecellunt, sic ego merita cæterorum  
 longè supero. Misericordiæ quoque ac pietatis visceribus tota affluo haud  
 secus, quàm oliua speciosa in campis plantata olei liquore: & vt platanus  
 crescit in sublime iuxta aquam in plateis, sic ego in omnibus per mortalis  
 vitæ fluxam instabilitatem decurrentibus cellissima existo. Et instar cinna-  
 momi & balsami gratissimum spirantium odorem, suavissimam reddidi  
 famam & opinionem virtutum omnium cunctis imitari volentibus, ita vt  
 nemo mihi similis sit in creaturis: quasi myrra electa & longè præstantis-  
 sima dedi suauitatem odoris. Sicut enim bono odore confirmatur & exhi-  
 laratur cor hominis, ita memoria huius sacratissimæ Virginis seu odor  
 gratissimus mentes pias & corda Christianorum omnium mirè confortat  
 & latificat, nec patitur perniciosam hæere tristitiæ nebulam quocunq;ue  
 pertingere potest. Ergo semper illius memores simus, vt diabolicum à no-  
 bis virus omne depellat.

Puritas bea-  
 tæ Mariæ  
 virginis quæ-  
 ta fuerit.

## EXEGESIS EVANGELII IN EADEM SO-

lennitate. Luce X.

**M**irabitur fortassis quispiam, cur Euangelium istud hodiernis die  
 legatur, vbi tamen nulla sit mentio beatissimæ genetricis DEI,  
 sed tantum describitur res gesta in ædibus Marthæ & Mariæ foro-  
 rum Lazari. Fortassis etiam non deerunt, qui irrideant nos hoc Euangeli-  
 um lectitantes. Verum non errat in hoc nec desipit Ecclesia Catholica, do-  
 ctorem & gubernatorem habens Spiritum sanctum, cuius illustratione fa-  
 cile perspicit eandem historiam iuxta mysticam interpretationem conue-  
 nientissimè diuersis posse accommodari. Et quid quæso absurdi habet si  
 matrem Dei castellum illud spiritualiter fuisse dicamus, in quod intrauit  
 Dominus Iesus, quando pro certo est in illius virgineum vterum non so-  
 lum ingressum eum fuisse, sed etiam inibi nouem mensibus demoratum?  
 Aut quid vetat Marthæ & Magdalensæ historiam de eadem purissima vir-  
 gine intelligi, cum ea fuerit tam in contemplatione, quàm actione, qua-  
 rum hanc Martha, illam Magdalena expressit, absolutissima? Quæ etiam  
 haud dubiè partem optimam elegit, nunquam ab ea auferendam, contem-  
 plationem scilicet Dei per speciem, ad quam hodie peruenit, secunda de sua  
 immarcessibili corona & gloria. Cui nos dilectissimi pijs mentibus & de-  
 uotis cordibus congratulari debemus, & contempta impudentissima hære-  
 ticorum audacia, qui hoc festum sacratissimum abrogasse feruntur, diem  
 hunc festiuis gaudijs & synceris officijs celebrem ducere, vt eius apud Deū  
 patrocinia experiri mereamur. Videamus nunc ipsum Euangelium.

Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam  
 Martha nomine excepit illum in domum suam.

xxx

Castel-

Castellū hoc  
qui intelli-  
gatur.

Castellum hoc Bethaniam fuisse constat, quo Dominus pro amore Lazari & Marthæ ac Mariæ fororum eius & frequententer & libentissimè diuertere solebat, deferens nimirum humanitati illorum & officiosissimè benivolentiæ, qua tanto hospiti, ita vt par erat, promptissimè ministrabant. Et quia diuites erant, non poterant grauari: eoque libentius ad eos Dominus se continebat, non vtique toties eo vêturus, si eis fuisset oneri: vt pote qui id semper sum mopere vitabat, ne quem grauaret. Non enim erat inciuilis Dominus aut inurbanus, quales sunt, qui se impudenter ingerunt, nec alios molestè afficere verentur. Ibat autē ad illos, vt eis cumularēt ex liberalitate & beneficentia in ipsum collata meritū: nō quasi ipse necessario indigeret. Quia enim re indigeret, cuius erant omnia? Quod autē Martha illū excepisse dicitur in domū suam, fortassis ideo factū est, quod illa senior esset, aut forte propria demus illius esset domina, & moderatrix. Dicuntur enim largissimè habuisse possessiones. Excepit autem Dominum, non ipsa tantum, sed & Maria & Lazarus summa cum reuerentia, & omni studio humanitatis, nihil ambi- gentes, qui suum & omnium creatorem reciperent. Et quis non tali ac tanto hospiti promptissima alacritate occurreret? Verum cum ille dicat: *Quid vni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti*, cur tam pauci hodie pauperes tecto recipiunt, & ad prandium inuitant? Vtique non mentitur veritas, qui se in pauperibus recipi ait. Sed non amant tales, aut tepidè valde amant Christum, quam obrem non curant eum recipere, in domos suas. Quod idcirco dixerim, quod possint forsitan homines sibi blandiri, quod libenter de ipso reciperent Christum, si adhuc in terris degeret. Sed mentiuntur, quando pauperes negligunt. Non enim denegatum est hominibus etiam hodie Christum pascere. Et licet abiecta, & vilis sit persona pauperum, in quibus se pasci ait, tamen non est minus meritum, quàm si Christus ipse pascatur. Imo contigit sæpe, vt qui pauperes se tecto recipisse putarant, ipsum Dei Filium reuera susceperint. Sed his frigidis temporibus charitas omnis miserè refrixit. Martha autem excepit Dominum in domum suam. Vide quantum se propter nos abiecerit rex & Dominus angelorum & hominum, vt aliena voluerit liberalitate sustentari. Non enim habebat opes vnde viueret, sed ex piorum hominum elemosynis, se suosque discipulos sustentabat. Quia hoc, nisi vt sua inopia nos ditaret? vt sua rerum omnium penuria ad amissionem cæli diuitias nos reduceret? vt denique suo exemplo nos doceret mundi facultates contemnere, vt pote quæ sæpe animos nostros ab amore futurorū abducant, & solis æternis cælestibus inhiare bonis? Itaque non sunt contemnendi qui relinquunt omnia & monasticam amplectuntur vitam, vbi nemo dicit aliquid suum, sed sunt eis omnia communiā, non ad voluptatem sed necessitatem. Habent enim huius rei exemplum in ipso Christo, quem qui sequitur, non ambulat in tenebris, nec vñquam errare potest. Sequitur.

Matth. 5.

Christus qui  
nam in suis  
pascatur pau-  
peribus.

Elemosyna-  
rius cur Chri-  
stus propter  
nos factus sit  
2. Cor. 3.

Monasticam  
vitam eligen-  
tes quàm sibi  
sapienter pro-  
spiciant.

Luc. 9.  
Ioan. 12.

Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Liber hoc loco sanctissimi ac eruditissimi Pontificis Basilij Magni dicta referre, quibus huius Euangelij sensa interpretatur. Is ergo capite secundo conti-

Basilijus.

continet.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. MARIAE.

constitutionum monasticarum, ait in hæc verba: Martha quidem hospicio Dominum suscepit: ad eius verò pedes assidet Maria. Laudandum sanè in utraque sorore studium. Cæterum tu res distinguo. Nam Martha ipsa in ministerio occupata, ea parabat, quæ hospitibus corpori erant futura necessaria, contra Maria cum ad pedes illius assideret, audiendis quæ ab eo dicebantur vacabat. Sic altera Domini partem illam quæ tangi aspectu poterat, respiciebat: altera parti illi, quæ occulta cerni non poterat, consulebat. Vere enim qui aderat, is & homo erat & Deus, idem Dominus ambarum mulierum studium approbabat. At Martha cum labore nimio delassaretur, Dominum rogabat, ut ad se in suscepto opere adiuuandâ, sororem vellet adhortari. Dic enim illi tu, inquit, ut surgens simul mecum ministrer. Cui Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro vñ est necessarium. Maria autem optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Neque enim ea fuit causa, quam obrem huc veniremus, ut in toris supini recumberemus, neque ut ventrem expleremur: sed ob eam rem hic sumus, ut pascamus vos verbo veritatis, & mysteriorum contemplatione. Ita Dominus neque illam ab suscepto ministerio est dehortatus, & huic laudem tribuit, quod quæ diceret, attentius auscultaret. Agedum igitur per duas mulieres duo mihi vitæ genera introduci animaduersito: Vñ qui dem inferioris notæ, nempe quod in crassioribus se obeundis vitæ huius muneribus occuparit: quanquã ipsum quoque mirifice commodum est: alterum nobilius, & cum spiritu magis coniunctum, nimirum quod seise ad arcanas res contemplandas altius extulerit. Hæc tu, qui audis, spiritu cõuenienter interpretare, & vtrumuis magis placuerit deligitò. Et si ministrare vis, in nomine Christi ministrato. Ipse enim dixit: Quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Nã siue hospites recipis, siue medicos reficis, siue dolentium misericordia cõmoueris, siue necessitate aliqua calamitateve oppressos auxiliari manu subleuas, siue aduersa valetudine laborantibus inferuis, omnia isthæc officia perinde Christus habet, ac si in ipsum propriè cõferrentur. Quod si maus Mariã imitari, quæ spretò corporis obsequio, altius ad rerum diuinarum contemplationem ascendit, corporis curã abijcto, apparatus etiã epularum & obsoniorum aspernator, & ad Dñi pedes assideto, & que ille dicat auscultato, ut arcanorum diuinitatis perticeps efficiare. Siquidè officijs ijs, quæ corpori impenduntur, potior est dogmatum Christi contemplatio. Hæc Basiliius. Pulchrè autè dicit Euangelista sedisse Mariã secus pedes Dñi Iesu: duo vna sententia exprimens, quietè scilicet & humilitatè, quæ maxime sunt contemplationi necessaria. Aristotelis sententia est animã sedendo & quiescendo sapientè fieri. Mariã ergo ut esset attentior, sessum se recepit: ut esset capacior, non ad latus, sed ad pedes Domini resedit, in altero audiendi sedulitatè, in altero modestiam præ se ferens. Fecit quod per prophetam Dominus commendarat, dicens iuxta versionem antiquam: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super quietem & humilem.* Vt enim pluuiarum vnda copiosior ad vallium ima confluit, ita gratia Spiritus sancti mentibus humilitate submissis largissima illabitur. Sed quid quæso agebat Maria sedens secus pedes Domini? num prorsus inani vacabat otio? Minimè. Non est enim otiosus amor Dei. Audiebat, inquit Euangelista verbum illius. Dicebat

Sorores duas, duas expressisse vitas.

Matth. 25. Officia quamnam pietatis Christo in suis membris exhibeantur.

Aristoteles. Ad pedes sedisse Domini cur dicta sit Maria.

Esaie 66.

Gregorius.



Pfal. 14.  
Sededo quid  
Martha audie  
bat.  
Pfal. 115.  
Pfal. 72.  
Acto 6.  
Math. 6.  
Pfal. 146.

Verbum Dei  
quisto studio  
audiendum.

Math. 6.

In eos qui  
sub sacris co  
nicionibus ob  
ambulando  
per edes sa  
cras aliterum  
studium per  
turbant.

Animus ho  
minis quan  
do à Deo sit  
remotior.  
Pfal. 84.

Ioan Ruf  
brochius.  
Solicitudò  
quoniam re  
prehensibilis  
sit.

Math. 6.

bat cum Propheta: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Audiebat verbum Domini Iesu, qui erat ipsum patris verbum: audiebat Dei sapientiam, audiebat verbum vite æternæ. Dicebat secum in corde suo. *Quam dulcia lingua tua super mel ori meo. Mihi autem adh. rere Deo bonum est: nec est æquum relinquere me verbum Dei, & ministrare mensæ.* Habeo hic pascentem omnia, qui dat iumentis escam illorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. qui palis volucres cæli, pisces maris, & pecora campi: & ego illo relicto cibi præparandis animum meum distrahi patiar? Non faciam: & puto sic esse voluntatem illius, cuius mihi verbum auditu suauissimum iuxta ac vtilissimum est. Et nos dilectissimi non sic simus rebus familiaribus dediti, quo minus confluamus ad audiendum verbum Dei. Dum dies est, dum adhuc licet, libenter auscultemus verbum Dei: ut quæ id cum fructu possimus, sedeamus, id est, animi curas, sollicitudines, distractiones, perturbationes interim seponamus, & tota mente simus intenti ad percipiendam ea quæ concionatoris ore promuntur, simulquæ voluntatem accomodemus ad agenda & omittenda quæcunque didicerimus diuinæ legi aut esse consentanea, aut ab ea discrepantia. Sedeamus, inquam, id est, omnes corporis in honesto motus vitemus, simusquæ moribus & animis compositi, & auribus ac cordibus erecti ad percipienda verba salutis. Non faciemus hæc in parte vilium rerum temporalium iacturam. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, ait Dominus, & hæc omnia adicientur vobis. Vt autem illis, qui nunquam, aut non nisi summo cum fastidio sacris intersunt concionibus: & maxime vix illis, qui ipso concionis aut diuini officij tempore in se cris ædibus vltro citroquæ obambulant, aliorum studium & attentionem impediunt: garrulitate sua & impijs confabulationibus, qui sanè digni essent ab omnibus summa seueritate & zelo ex templis eieci ac exturbati, quam membra & organa spirituum tartaricorum.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium.

Mulci venerant cum Domino, quos omnes vt honorificè tractaret Martha, præparabat multa, sed maiori animi anxietate & cura, quam res possideret. Multa animo disponebat, multisquæ apparandis intenta erat, & interrim ab ipso Dei verbo sese elongabat. Quanto enim animus sese latius in hæc externa effundit, tanto fit à Deo remotior: qui cum sit vnus, cordis vnitatem diligit, & inhabitat, fugit multitudinem. Vnde dicitur in Psalmo: *Loquetur Dominus pacem in eos qui conuertuntur ad cor.* Tamen non reprehendimus Marthæ sanctissimam occupationem, sed nimia sollicitudo forsitan reprehendi potest. Vnde scribit Doctor quidem valde venerabilis: Sicut externæ actiones & opera in scriptis diuinis magnopere commendantur, ita sollicitudo cordis vituperatur. Ergo quamuis Marthæ ministerium sanctum fuit, tamen non est æquè laudatum à Domino, vt fororis ocium, quia externum erat & in multa distractum, quod serè semper animum à Deo magis ac magis efficit alienum, cum non possit quis simul duobus seruire dominis, creaturis & creatori, vt vtrisque satis faciat. Nam etsi seruendum est proximis ex charitate, tamen semper animum ad vnum referendus est, nempe ad Deum, vt omnia propter illum fiant, nihilquæ in multitudine ipsa

obli-

obsequiorum spectetur aliud quam Deus, porro distractio omnis, qua mens à Deo ad creaturas rapitur, deuitetur. Vbi enim animi oculus alio quam in Deum intenditur non potest culpa vitari, quandoquidem ab vltimo totius vitæ nostræ scopo aberratur.

Quæ stetit & ait: Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet.

Primo hic aduertendum est, querelas istas Marthæ erga sororem non inuidentiæ aut impatientiæ, sed amoris esse. In tantum enim Martha diligebat Dominum, vt omnino dignum putaret sororem vna ad res necessarias præparandas incumbere debere. Aberat ab illa domo virtus inuidentiæ, totiusque malitiæ amaritudo, nec nisi charitas & pietas dominabatur: ne quis carnalis & imperfectus verba hæc ex suo animo metiens putet Martham vitiosa perturbatiõne incitatam, aduersus sororem suam ea protulisse. Dolebat Domino non præstari omne humanitatis officium, sororemque ad pedes illis residentem, timebat non satisfacere tanto hospiti, neque digna illum excipere reuerentia. Desert ergo piæ querimonias non ad quoslibet è familia, vel extraneos, qui potuissent rem sinistre interpretari, sed ad ipsum Dominum, quem sciebat non nisi iustissimè iudicaturum. Nec ipsa in sororem ausa est promulgare sententiam, quod malè ociosa foret, sed totum commisit Domini iudicio, vt si ille eam negligentem nosset, iuberet ad opus surgere: sin aliter, ipsam excusaret. Solent homines mechanici & qui de manuum opere viuunt Clericos & monachos ocij in simulare, quod non querant sibi victum sudore vultus sui. Sed potius malitia aut inuidentiã, quam ratione mouentur. Quid enim ad eos attinet, si clerus viuat ex aliorum beneficentia, quando multi nobiles & diuites mercatores de suis opibus absque vlllo labore viuunt? Clerici & monachi nocte & die precantur Deum, pro populo, pro Ecclesia & pro omnibus: ministrant populo verbum Dei & Sacramenta, & non licebit eis ex elemosynis piorum viuere? *Si nos vobis seminauimus spiritalia, ait Apostolus, magnum est si vestra carnalia metumus?* Multa sunt & diuersissima Ecclesiæ membra & tamen alia pro alijs sollicita sunt. Mechanici, rustici, mercatores parant & conuehant omnibus necessaria: Principes & nobiles & magistratus iustitiam tuentur ac subditos protegent: Clerici & monachi pro omnium salute Deum nocte ac die precantur. Ita sunt diuersæ hominum functiones nec debet omnium eadem esse conditio. Faciat vnusquisque ad quod se obligatum nouit, & tranquillus erit Reipublicæ status. Tollant laici inuidentiæ pestem ab animo suo, & desinent malè sentire de clericis. Quod si quæ sunt vitia in clero, cogitent etiam se suis non carere vitijs, nec iudicent temerè, quorum beneficijs & corporalibus & spiritalibus sæpe non minimum iuuantur.

Et respondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.

Ex his Domini verbis apparet Martham plus satis sollicitam & occupatam fuisse. Habet hoc temporalium rerum administratio, vt animum lacineret & distrahat in multa: vnde sæpe numero accidit, vt etiam boni homines

Querelæ piæ  
vt fuerint hæc  
Marthæ.

Clericorum  
& monachorum  
opus  
quodnam fore  
debeat.

1. Cor. 9.

Membra Ecclesiæ  
quæ sunt  
diuersa.

Rerum temporalium  
administratio



ut necessario  
animum la-  
ceret.

1. Tim. 6.

Misericordiz  
opera quina  
exercenda.

Luc 9.

Vnum quod-  
nem solum  
fit accessa-  
rium.

Omnia vti ad  
vnum refe-  
rentia sint.

Intentio ani-  
mi vt in Deu  
vnicè dirige-  
da in cunctis  
actionibus.

quamuis sanctis & licitis terrenarum rerum occupationibus impliciti, fa-  
cile turbentur & moueantur, vt pote qui nō satis animi compotes sint, pro-  
pter negociorum secularium multitudinem & importunitatem. O felices  
igitur, qui quo ad possunt, paucissimis sese admiscet curis temporarijs,  
*Habentes victum & vestitum, ait Apostolus, his contenti simus. Nam qui voluit di-  
uites fieri incidunt in tentationem diaboli. Quare hoc? Quia scilicet in multa di-  
stracti, facilem ad animi arcem impugnādam diabolo aditum patefaciunt.*  
Sed dicat aliquis: Num ergo abiicienda sunt misericordiz opera? Minime  
sanè: sed modis omnibus sunt exercenda: tamen cauendum ne animus plus  
satis occupetur, sed sit liber & semper intentus in vnum, nempe Deum, quem  
solum purè spectet & contempletur in omnibus quibus gratificatur & depe-  
facit. Nec vnquam ita sit circa actionem occupatus, vt Deum & diuina ne-  
gligat. Poterat fortassis Martha minori negotio Domino seruasse atque il-  
lum verba salutis suo more referentem auscultasse, & tamen ad parandos  
cibos corporis relicto animæ pabulo sese totam effudit. Hoc planè cau-  
dum est in officijs misericordiz & charitatis, quæ erga proximos præstan-  
tur, vt ne propter illa animas nostras nimium negligamus. *Quid proficit ho-  
mini si vniuersum mundum lucretur, seipsum autem perdat & detrimentum sustulerit?*  
Ergo quoad fieri potest, in ipsa piarum actionum necessaria occupatione &  
distractiua multitudine vitanda est nimia sollicitudo & mentis perturbatio,  
vt fiant omnia tranquillo & in vnum intento animo, ac deinde cuncta Deo  
committantur, nec vnquam propriæ salutis animæ penitus postponatur. Ita  
seruias proximis, vt Deum & teipsum non negligas.

Porro vnum est necessarium.

Ab vno omnia cœperunt, & omnia tendunt ad vnum. Deus Omnipotens  
fons est & origo omnium, idem ipse, & finis omnium. Ipse est enim & de-  
us: ipse fons & clausula omnium quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt  
per æterna secula. Ipse ergo est vnum necessarium. Hoc vnum quisquis  
non spectat in occupationibus suis circa multa, perdit laborem suum, quia  
obliquus est animus illius, nec recta fertur ad scopum. Hoc vnum si in om-  
nibus illis, quæ cogitant, dicunt, agunt & omittunt homines simplici corde  
spectarent, eoquæ & se & sua omnia referrent, felicissimi forent. Sed si totam  
hominum viuentium summam colligas in vnum, vix paucos ex omnibus  
inuenies, qui animi intentione ferantur in Deum. Tanta est cæcitas homi-  
num. Alius hæc alius illa aucupatur, & plerique omnes in multa dispersi  
sunt, & vna ipsi multiplices, instabiles, & miseri sunt, prout res, quibus  
dediti sunt, sese habent: paucissimi in vnum Deum diriguntur. O homo at-  
tende excellentiam conditionis tuæ. Quicquid amas rerum visibilibus, lon-  
gè est infra dignitatem tuam. Si amet rex vile prostibulum, commune om-  
nibus, despicitur ab omnibus: ita tu dum vilia hæc & misera sectaris, aucto-  
ritas ab vno summo bono Deo Opt. Max. demonibus cunctis ludibris es.  
Nec dissimilis es pueris nondum ratione vrentibus qui maximis thesauris  
vilis poma charius amplectuntur. Sed si vis bene consultum tibi, postposi-  
ta labentium creaturarum varia & lubrica multiplicitate, animi obtusus in  
vnum Deum tuum intende. Illuc tota feratur mentis tuæ intentio, vbi est  
verissima

verissima unitas & tranquillissimum ocium, vbi infinita creaturarum multitudo non nisi vnum est.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Hæc de vita contemplationi dedita exponuntur, quæ pars optima est, & hic incipit, porro in vita æterna semper perseverat & perficitur. Dicamus hic pauca de actiua & contemplatiua vita: id enim Euangelij mysticus sensus exigere videtur. Actiua vita non solum in eo posita est, vt vacemus operibus misericordie, sed etiam vt vitia extirpemus, passiones animi reformemus, sensitiuam portionem rationi, & totum exteriorem hominem interiори subijciamus: vt moralibus obtinendis virtutibus operam demus, vt in meditando illis quæ Dominus Iesus propter nos assumere, agere & pati dignatus est, sedulo versemur, vt in omnibus semper conemur obedire mandatis Dei & Ecclesie catholice, vt in operibus bonis, in bonis moribus, & in exercitijs actiue vite nos exercitemus, idq; purè ad honorem & propter voluntatem Dei, & salutem proximorum, exclusa omni vitiosa & obliqua intentione. Atque ante omnia necesse est vt per veram contritionem, puram confessionem, dignam satisfactionem siue dignos poenitentie fructus studeamus nos à præteritis culpis reformare, & solcite vigilare aduersus tentationes diabolicas, & cordis puritati nauare operam. Curandum est etiam, vt propriam discamus frangere voluntatem in omnibus, vt superfluas & inordinatas corporis delicias proculcemus, vt pacem & gaudium in solo Deo queramus, vt aduersa libenter feramus, vt ab omnibus despici cupiamus. In his atque id genus alijs quisquis serio ac studiose sese exercitarit, quandoq; ad contemplatiuam pertinget vitam, quæ est reuera dulcissima & felicissima, cui non possunt vllæ huius mundi delitie comparari: quæ tamen hodie non solum apud vulgus, sed etiã viros literatos, & Ecclesiasticos vsque adeo neglecta iacet, vt paucissimi sint, qui aliquam illius saltem notitiam, nedum experientiam, habeant. Basiliius Magnus contemplationem dicit esse cordis illuminationem, apothecam Spiritus sancti, mentis iucunditatem, hortum deliciarum, paradysum amœnæ suauitatis, lucem & pacem serenæ tranquillitatis. Origenes eam vocat cellam omnium charismatum plenitudine refertam. De qua si quis plura nosse velit, legat scripta D. Ioannis Rusbrochij, D. Ioannis Tauleri, Henrici Harpij, Dionysij Carthusianum de cõtemplatione & alios plures. Multa hinc in populo tractare vix consilij est, quandoquidem illius capaces non sunt: Imo nemo quamuis doctus capax est, nisi scientia illius cum profunda humilitate & seruenti charitate coniuncta sit. Denique hanc partem optimam elegit virgo sacratissima Maria in qua quam fuerit excellens, nulla lingua explicare, imo nulla mens capere sufficit. Sicut enim dono sapientie excellentissime prædita erat, ita contemplatione omnes longissime superabat: est quæ hæc indubitata multorum persuasio, vsque ad contemplandam diuinam essentiam per speciem, sapius raptam eam fuisse etiam in hac vita. Neque hoc mirum, quando id Moyse & Paulo contigisse legimus. Nec vllum in se vel tenuissimè habebat culpæ impedimentum, quo minus posset ferri in Deum per contemplationem assiduam & admirabilem, aliorum contemplationem longè excedentem.

Vita actiua  
quænam  
necessario  
requirit.

Vita actiua  
quinam  
aspicienda.

Vita contem-  
platiua dul-  
cissima alio-  
qui in se qui-  
nam ab om-  
nibus penè  
negligatur.

Basiliius.  
Vita contem-  
platiua eace-  
mia.

Origenes.  
Viri contem-  
platiui recen-  
tioris seculi  
qui fuerint  
excellenti-  
ores.

Maria mater  
Christi vni  
optimam sibi  
partem dele-  
gerit.

Exod. 33.  
1. Cor. 12.

Rogemus ergo eam charissimi, vt impetret nobis à filio suo gratiam Spiritus sancti, qua & agnoscamus, quæ salutis magis vicina, & Deo gratiora sunt, & agnita eligamus, & deinde firmiter retineamus. Non nos detineat amor rerum presentium, quæ sine intermissione præterfluunt, nec nobiscum permanere possunt: sed simus dediti Deo & rebus diuinis, eaque nobis potissimum cordi sint semper, quæ nemo possit auferre à nobis. Quod si necdum idonei sumus optimam contemplationis partem eligere cum Maria, fideliter actiuæ vitæ partes exequamur cum Martha: simus pij in proximis, & quicquid in nobis Deo displicet, mortificemus: ita quandoq; perueniemus ad partem optimam nunquã nobis neq; vi, neq; fraude cuiusquã eripiendã.

SERMO I. IN EADEM SOLENNITATE.

*Quod beatam virginem amare venerarique debeamus, eiusque exemplo optima quæque virtutum deligere.*

**M**aria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, Lucæ decimo. Charissimi fratres, nonne insipientiæ arguendus est vehementer, quisquis eligendi optione sibi data non optima quæque, sed aut parum bona, aut etiam malè eligat? Et nos propemodum ij sumus, quibus optima eligendi data est copia, nec copia nobis tantum est data, sed vocati sumus etiam & iussi optima eligere, vt simus perfecti, sicut est Pater noster perfectus, qui in cælis est. Iam videat vnusquisque quid eligat, quid querat, an optimum, ne dicam bonum, ne dicam malum sit. In externis morari occupationibus, toto die (idquæ non ex obedientia & sine fructu charitatis fraternæ) ferè fabulari, nugari, & ad hæc occasiones querere, de fratrum conuersatione, non charitate, sed inuidia stimulante, inuestigare, de secularibus moribus scrutari, obloqui, murmurare, perperamque iudicare, nocturnos & clandestinos conuentus agere, instituta Spiritus sancti contemnere, vitia transgredi, quæro an monacho, an eremita digna sint, an optima vocanda? Verum non ab accusatione sermo noster sumere deberet exordium, nisi dolor vrgeret me præueniens, quod ad transgressiones quidam nati, & nescio à quo ad monasteria missi, & suas & aliorum animas seducunt. Video multos inter vos bonos, sed sunt reuera etiam nonnulli quos lugere habeo, licet cohortationes quas facimus, hi aut ad se pertinere non arbitrantur, aut ad sui persecutionem existiment dictas: persequimur cerè peccata eorum & vitia, quæ ipsimet persequi deberent, sed diligimus eos quos tantopere curamus fore bonos. Maria optimam partem elegit, optimam partem elegit in quouis viuendi genere: nam non vnum duntaxat viuendi statum tenuit, quippe cui sanctè viuendi neque status neque modus defuit vllus. Habuit enim statum virginalem, conjugalem & vidualem, in quorum quolibet exemplar atque speculum se virtutum præbuit. Fuit præterea in ea status angelorum, apostolorum, martyrum, confessorum atque virginum, vt in quocunq; quis esset statu, in Mariam respicere, ac sibi in ea emendatoris posset vitæ sumere normam. Vnde non incongrue ei Ecclesiastici illud tribuitur dicentis: *In omni terra stetit, & in populo, & in omni gente primatum habuit.* Et verissimum est illud Bernardi, Merito ô virgo benedicta de te ple-

Math. 5.

Optimam partem vti in quouis viuendi genere elegit Maria.

Eccle. 24.

Bernard.

te plenitudo gratiæ prædicatur, quia non defuit tibi fides patriarcharum, spes prophetarum, charitas apostolorum, constantia martyrum, sobrietas confessorum, castitas virginum, fecunditas coniugarum, puritas angelorum, denique plenitudo diuinitatis.

Ipsa elegit optimam partem, non vni tantum, sed omnibus, & charitatis, & beneficiorum sinum suum expandens, vt nemo sit qui misericordiæ & benignitatis eius non sit particeps, teste Diuo Bernardo, dicente: Maria sinum aperit vniuersis, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captius redemptionem, æger recreationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus lætitiã, Filius Dei carnis substantiam, denique tota Trinitas gloriam. Et iterum: Maria stat in publico omnibus se offerens, clamans ad omnes: *Venite ad me omnes qui conuiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Et iterum: Sileat misericordiam tuam virgo beata, qui eam in suis necessitatibus inuocatam non senserit sibi adfuisse. Ipsa optimam partem elegit, quæ in singulis virtutibus, in singulis donis ac gratiis Dei excellentiam obtinet & principatum, vt pote maior cunctis, sanctior vniuersis. Quis enumerare sufficiat quantum in quibuslibet virtutibus præmineat singularis, quomodo omnis decor, omnis honestas, omnis dignitas, omnis gratia, omnis excellentia in ea præfulgeat, & hoc in supremo gradu sanctitatis: quandoquidem Deus eam tantam fecit, ornauit, honorauit, gratiis impleuit, potestate & gloria in cælis coronauit, vt in puro homine, hoc est, in ea, bonitatis suæ diuitias, abyssum largitatis, beneficentiæ suæ summationem, potentiæ (vt sic loquar) suæ terminum, atque naturæ miraculum ostenderet, in omnibus illustrissimam atque præclarissimam eam faciens, vt pote tantam, quantum puram creaturam ipse facere, aut quanta fieri illa potuit. Hanc ob rē vt cernimus vniuersa Ecclesia ei laudes, præconia, honores, officia deuotionis atque venerationem quanto potest studio tribuit. Vocat eam reginam misericordiæ, matrem gratiæ, aduocatam nostram, spem, vitam, & dulcedinem nostram, paradisi portam, cæli fenestram, & si qua huiusmodi laudum, honorisq; alia sunt nomina, magna eidem pietate tribuens adscribit. Quæ tamen hæreticis vehementer displiceant, & sub specie æmulationis quasi pro Christo zelantes (quem tamen interim operibus facinorosis impudenter, insigniterq; blasphemant) calumniantur nimium tribui creaturæ, id quæ derogari Deo, quasi adeo nos simus stupidi, vt contra discrimen vel Christum, vel eius matrem vocemus, aut aduocatam, aut salutem nostram, tamen rumpantur licet illa eis, coguntur nos illam venerantes sustinere. Sciunt pij omnes à Christo, & per Christum solum nobis operatam, sperandamque salutem.

Porro non ignoramus pariter ad huius affectationem, quam varia dederit nobis subsidia, potissimè autem suam matrem quæ pro nobis loquatur coram se bona, quam propter ipsum, id est, propter Christum venerantes, mittamus ad eundem & precibus humilibus dona ac gratiam diuinam per eam impetremus. Ipse namque eam ceu thesaurariam suæ gratiæ constituens per eandem vult nos recipere, quæ petimus (licet ipse det & per seipsum dare possit) quomodo per eleemosynarium à rege constitutum, mendici egeniq; subsidia recipiunt. Quare & à mendicis inuocationes, honores & gratiarum

yyy actiones

Sinum charitatis aperire Maria vniuersis.

Bernard.

idem.

Ecl 24.

Excellentia Maria in singulis virtutibus, donis ac gratiis quant.

Cur merito ab ecclesia honoretur ac inuocetur mater Dei Maria.

Salutem nostram quomodo vocemus Christum & quomodo eius matrem.

Thesauraria Dei esse Mariam.

Laudes & inuocationes

quomodo  
Dei matri tri-  
buat ecclesia.

actiones recipiunt elemosynarij, licet tam ipsi, quam ij qui ab eis beneficia recipiunt non ignorent omnia à rege hæc eadem sibi donari, nec elemosynarios aliud esse agere ve, quam ministerium ac officium suum simulq; commiserantis fauentisq; impartiri animum, quod vltimum egeni possunt querunt, quo sibi vberius, misericordiusq; etiam ex distribuentis benevolentia subueniatur. Sinaut igitur hæretici vt vel hoc modo laudes inuocationesq; Dei matri tribuamus, quando nos permittimus eis vt suas amant quas in delicijs habent, ne dicam vilissima scorta, vocent suas coronas, suum amorem, sua corda, sua basia ac suauia, dimidiumq; si inferis placeat, animæ suæ, atque vt nos quoque aliquid adijciamus, suas furias, suum internum.

Mariam à  
nobis esse di-  
ligendam ac  
honorandã.

Vos charissimi diligite, vos honorate, vos deuotionis obsequia officiaq; venerationis beatæ impendite Dei genitrici, idque in eius quem genuit, referatis honorem. Gratiarum agite Deo, qui huiusmodi piam, humilissimam, dulcem, misericordem, benignam, clementissimamq; vobis dedit matrem, quæ clementer vos respiciat, hilariter recipiat, amanter apud filium promoueat, & quæcunque saluti sunt vobis necessaria, vbertim obtineat.

Deuoti Ma-  
riæ cultores  
quantum ob-  
tineant gra-  
tiam à Deo.

Neminem legimus sanctissimorum, qui Mariæ singularis non fuerit, aut venerator, aut cultor deuotus. Neminem item legimus, aut vidimus beatissimæ Mariæ deuotum, neminem audiuimus eius amatorem, qui non gratiam singularem à Deo obtinuerit perfectionis. Vos charissimi, præter deuotionis officia eiusq; sanctitatis amorem ad eius accingimini imitationem, vt quomodo ipsa in omnibus optimam elegit partem, ita vos quoque nondum vos arbitremini aliquid comprehendisse, quin potius extendatis vos semper in anteriora perfectioraq; salutis. Enitamini semper ad optima quæque.

Phil. 3.  
Hebr. 6.

Auari quan-  
tis laboribus  
compentent  
sibi damna-  
tionem æter-  
nam.

Videtur mundi diuites & auaros non satiari diuitijs: quascunque exaggerauerint opes, desiderijs eorum satisfieri non potest: sed pro maioribus semper habendis & curas, & labores suscipiant, vigilias anxias, & noctes decunt infomes. Siccine oportet affligi corda vestra, & filij hominum pro fauoribus, pro honoribus, pro diuitijsq; terrenis, vt egregie beatos faciat vestros hæredes, eisdem illis curas sollicitudinesq; relinquentes? An non mereri oportebat Dei iram, eius gratiæ amissionem, inferni gnom, damnationemq; sempiternam?

Amicitia Dei  
minoribus  
mereri posse  
laboribus  
quam infer-  
num.  
Mors amaro-  
rum seculi  
quam sic lu-  
ditia.

Minoribus multo laboribus & tranquillo corde Dei potuissetis comparasse amicitiam, læti vixisse iuxta facies sanctorum, pacati, tranquilli, paucis contenti, & post hanc vitam lætitiarum obitu sempiternam. O quam tristis erit separatio animæ vestræ à corpore, & quam luctuosa mors, si hoc modo cum amore seculi & vitæ huius ad finem peruenieritis, nihil habentes præter peccata vestra vobiscum, quæ angent, prement & deprimunt vos vsque in tartari abyssum. Quam felices educti vos estis charissimi, qui contemptis honoribus, voluptatibus, luxu, saltu mundi, pauperes spiritu, hoc est, habentes victum & vestimenta, istis non plura desiderantes viuatis, Deo in tranquillitate seruientes, felices in vita, feliciores in morte. Veruntamen charissimi fratres, quantumuis in felici statu, nolite quamdiu viuatis, vobis felices videri. Deo pro tam multis donis vobis agite gratias collatis, veruntamen interea ex vestris vos negligentijs, ex vestra ingratitude vospiplos accusate, humiliare, flete, & noui quæ-

Contempro-  
res seculi quæ-  
siti felices.  
Math. 5.  
1. Tim. 6.

interca ex vestris vos negligentijs, ex vestra ingratitude vospiplos accusate, humiliare, flete, & noui quæ-

vidie propositum, nouum vobis corrigendæ vitæ feruorem restaurate. Eligite cum beatissima Maria partem in omnibus optimam. Bona pars est Deum ita diligere, vt mandata eius absque transgressione seruentur. Melior est eius quoque consilia Euangelica diligenter implere. Optima voluntatem ac omnia eius beneplacita, perfecta sui abnegatione obseruare. Simili circa dilectionem proximi modo bona est pars, proximo naturæ iura seruare, facere illi quod sibi velit quisque fieri, & quod sibi odere euentre, non facere proximo. Melior est omnia proximi, siue gaudium, siue tristitiam inducant, in animo tanquam sua sentire. Optima est etiam odientes, persecuentes ac calumniantes diligere, eisdem benefacere, eisdem compari, & pro eisdem orare. In humilitate bona pars est se non extollere, non superbie, non se proximis præferre, sed suam vilitatem verè agnoscere, nec plusquam congruit, de se sentire. Melior est seipsum ex animo despiciere, ac propter ignitionem suæ vilitatis velle despici, ad sui contemptum neque irasci, neque tristari, sed potius de honore erubescere, omnibusque quomodo sibi in veritate se cognitum esse desiderare. Optima pars, vt quamlibet perfectus quamlibet illustrior cæteris, quibusuis etiam donis fortasse potioribus à Deo præditus, nihil sibi adscribat, nihil sibi vendicet, nihil arroget sibi, sed cuncta in largitorem pure refundat: solamque vilitatem & malitiam quam ex se habet, suam agnoscat, hanc sibi tribuat. In virtute patientiæ bona est pars se cohibere à verbis à signisque iræ, ne foras erumpat quo impatientiæ atque iracundiæ vitium demonstrat. Melior est, continua pugna & renuissimam vim iræ cohibuisse, ita patientiæ assuetum esse, vt absque perturbatione ac metu expectet aduersa, suscipiat fortiter, hilariterque ferat. Optima pars est aduersa desiderare cum desunt, gaudere cum adsunt, totoque corde vt Christo mereatur conformari pro se patienti, desiderare. Obedientiæ bona pars est transgressionem cuiuscunque præcepti cauere. Melior mandata etiam ac voluntatem prælatorum non solum obseruare, sed etiam diligere. Optima est nullam prorsus voluntatem propriam habere, sed semetipsum funditus abnegare. Castitatis bona pars est ab omni illicito carnis actu & etiam tactu cauere & abstinere, continentiam cum proposito semper sic manendi obseruare, illicitos sensuum motus & verba carnalia proscindere. Melior pars est, assiduitate repugnandi, iugi mortificatione carnisque abstinentia cum alijs bonis studijs orationum lectionumque ita esse assuetum, vt spiritui carnem subiectam habeat, rarius carnis stimulos sentiat. Optima pars est ita domasse carnem, vt rarissimè stimulos carnis sentiat, ita induisse virtutem castitatis, vt ex animo illam diligat, omniaque carnalitatem olentia detestetur & horreat. Nimis fratres charissimi siam prolixus, nimis onerosus timeo inueniar, si in singulis hoc modo recenserem gradus virtutibus. Vos ipsi cogitate quæ sit Dei in omnibus voluntas beneplacens & perfecta. Vos ipsi non meliora tantum, sed optima quæque (vt pote negotiatores Christi) vobis coaceruate, eaque omnia ne à superbia inaniue gloria exullentur pereantque vobis, ad eiusdem gloriam referatis, qui est benedictus in secula, Amen.

Optima quæque virtutum quomodo cum B. Maria nobis eligenda sit. In dilectione Dei & proximi quæ sit pars optima. Luc. 6. In humilitate pars optima quæ.

In patientiæ pars optima quæ sit.

Obedientiæ pars optima quæ.

Castitatis pars optima quæ.

Galat. 5.

*Vi B. Maria Dei genetrix bonis natura, gratia & gloria, itemque  
vita aeterna, contemplativa & caelesti pradis  
suerit.*

Eccle. 15.

**M**aria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea, Lucæ decimo. In Ec-  
clesiastici libro charissimi scriptum legimus: Deus ab initio con-  
stituit hominem, & dimisit eum in manu consilij sui, id est, arbitrii  
libertate & potestate: posuit ante eum bonum & malum, vitam & mortem ad  
quodcunque voluerit, extendit manum suam. Enimvero gemina quaedam  
in homine propensio est: Altera sensualitatis, vel portio sensitiuae ad ma-  
lum concupiscentiae & vitia quolibet: altera rationis ad bonum virtutum.  
Itaque si peccatum eligat, mortem animae ipse sibi ascissit. Si vero ad recta  
facta, & ad virtutes manum extendat eaquae amplectatur, vitam vitaeque  
gratiae eligit. Porro triplicia inueniuntur bona, quae possit homo eligere &  
amplecti. Nempe bona Natura, Gratiae, & Gloriarum. Bona naturae sunt, No-  
bilitas, Pulchritudo, Fortitudo, Incolumitas: atque id genus alia. Quae qui-  
dem eatenus homini bona sunt, quatenus ijs bene vitatur. Siquidem Dei do-  
na sunt & opera. Bona Gratiae sunt, munera spiritualium charismatum, vir-  
tutum perfectiones quae sunt longè præstantiora bonis istis prædictis sunt an-  
geli & homines sancti. Bona gloriae sunt in Deo & cum Deo, eaquae optima &  
excellentissima sunt, nec desinunt vnquam, nec deficiunt. Bona quidem na-  
turae morte tolluntur: Bona Gratiae extinguit consensus in peccatum mor-  
tiferum, quod est mors animae. Atqui bona Gloriae semel obtenta non a-  
mittuntur vnquam: siquidem non possunt amplius peccare, qui ea adepti  
sunt diuina virtute in bono confirmati. His verò triplicibus bonis eximè  
ornata fuit beata & gloriosa virgo Maria. Et quantum quidem ad bona na-  
turae attinet, fuit genere nobilissima, ex regio ac sacerdotali stemmate ori-  
unda: fuit item corpore pulcherrima præ cunctis foeminis ac virginibus, ita  
vt non immerito S. Ecclesia ad designandam animae & corporis illius deco-  
rem, cantet de ea: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Idemque quod  
quid ad splendorem & honestatem ac dignitatem spectat, perfectissimè  
habuit virgo sacratissima. Et tamen quanto hæc in ipsa subire excellen-  
tia, tanto fuit humilior, sicquae illis omnibus vsa est, atque ita semper in illa  
fese gessit vt in cunctis Deo summè placeret. At verò bona gratiae in ea mi-  
rifice enituerunt, vt ipse quae tanta gratiae, charismatum diuinorum ac vir-  
tutum perfectione resplenduit, quanta potuerit pura creatura. Namque et  
ipso, quod est digna mater Dei, tantae est excellentiae, vt nequeat esse maior,  
nisi sit ipsa Deus. Neque tamen in his acquieuit, nec his contenta esse voluit  
quoad superuixit in hoc exilio, maximè post filij in caelos ascensionem,  
sed perpetuis ac anhelis & ardentissimis flagrabat desiderijs, vt accipe-  
ret bona gloriae ipsi à filio tanquam matri dulcissimæ in caelis præpa-  
rata, atque ita tota esset semperque permaneret cum Deo in vita sempit-  
terna: quae nimirum illa est pars optima quam hodierna die consecuta  
est, quae nunquam auferetur ab ea, cuius meminit Euangelium huius  
diei, quod licet secundum litteram non conueniat virgini intemeratae,  
tamen

Duplex vt sit  
in homine  
propensio.

Bona naturae  
quae sunt.  
Bona gratiae  
quae sunt.

Bona gloriae  
quae sunt.

B. Virgo Ma-  
ria vt triplici-  
bus fuerit or-  
nata bonis.

Capit. 4.

Lucæ 10.

Triplicis vita  
spiritualis  
quæ sit.  
Actiua vita  
in quibus  
sita sit.

Matth. 10.  
Augustin.  
Gregorius.

Lucæ 10.

B. Maria vi  
exceptit  
Christum in  
domum suâ.

Bonitas Dei  
erga nos  
quanta.

Christum vti  
quius reci-  
piat in domū  
suam.

B. Virgo quæ  
officiose Fi-  
lio interuen-  
it.

Christus vti  
sibi etiam pa-  
ter quicquid  
proximis sit.

tamen iuxta sensum mysticum pulcherrimè illi quadrat. Est enim triplex quædam vita spiritualis, puta Actiua per gratiam informata, Contemplatiua Deo coniuncta, Beata & fruitiua in gloria sempiterna. Prima ex his bona est, sed altera melior, postrema optima. Ipsa autem actiua vita colitur & exercetur operibus & officijs charitatis ac misericordiz tum corporalibus, tum spiritualibus, quæ proximis præstantur propter Deum: itidem quæ actionibus virtutum, & cæteris honestis ac meritorijs studijs & laboribus, quorum tamen finis Deus sit. Ita nimirum vitam illi actiuam agunt, qui infirmis, miseris, egenis inserviunt & gratificantur causa Dei, qui vitiorum mortificationi & bonis operibus studiosè incumbunt ob amorem Dei, certi, non inanes futuros labores suos, quos recta intentione peregerint, quando Dominus Iesus etiam calicem aquæ frigidæ sui contemplatione cuiuspiam indigo porrigeni mercedem pollicetur. Huius actiue vitæ, vt auctor est D. Augustinus, & S. Gregorius, typum gessit Martha, de qua tria quædã referuntur in hodiernæ solennitatis Euangelio, quæ eadem perfectissimè in matre Domini reperiuntur. Primum est quod Martha exceperit Iesum in domum suam. At enim Euangelista: *Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quadam &c.* Ita cum Dominus Iesus intraret in hunc mūdum, excepit illum in domum pudici ac intemerati vteri sui virgo beata, nouemq; mensibus hospitem tantum in eadem domo regia apud se retinuit ac enutriuit. Quæso considerate hic dilectissimi, quantæ sanctitatis, quantæ puritatis, quantæ dignitatis sit hæc reuerenda & benedicta virgo, intra cuius casta & integra viscera Deus Dei Filius, rex magnus & immensus tanto temporis spacio voluit commorari. Quamquam maiorem sanè admirationem habet, inestimabilis benignitas eiusdem Dei ac Domini nostri, quod nō solum in illam purissimam sacraui vteri domum intrauit, sed etiam quotidie quoties illum in sacramento accipimus ad nos miseros & multis heu vitiorum sordibus inquinatos & squalidos ingredi nō dedignatur, oblitus præmordum maiestatis suæ ob nimietatem suæ erga nos ineffabilis beneuolentiæ & amoris. Et quidem totus ad nos ingreditur verus Deus & homo, nō iam passibilis & mortalis, qualis fuit in vtero virginis, sed omnino impassibilis & immortalis: nec semel tantum sed sæpissimè ad nos venit. Vbi profecto, si quis in nobis sit sensus, merito nostram plorare debemus ingratitude, quod tãtam Domini nostri erga nos charitatem non attendimus, non digne ponderamus: quodq; Deum & Dominum, qui creauit, qui redemit, qui pascit nos, & post mortem iuxta merita nostra iudicabit nos, sæpe tam indignè, tam irreuerentè, tam impura conscientia accipimus. Aliter quod de S. Martha legitur est, quod satagebat circa frequens ministeriū. Fecit idem multo præclarior mater Dei. Ipsa nanque toto vitæ spacio filio suo officiosissima deseruiuit, vt omnia, quàm fuerit sedula erga proximos. In filij natiuitate functa est obstetricis officio, natum puerulum pannis ipsa inuoluit, inuolutum collocauit in præsepio, lactauit vagientem, lachrymas extersit magno pietatis affectu, portauit in Aegyptum, suis laboribus victum & sibi & illi parauit, denique quoad superuixit filius quicquid potuit vt ancilla Domino, vt mater filio, vt sponsa sponso præstitit. Erit fortasse quispiam, qui se doleat non posse itidem seruire Filio Dei. Verum non





T. VI  
22

Math. 15.

est, cur in quenquã malè habeat. Qui vult potest etiam nũ seruire illi, potest illi quælibet pietatis obsequia exhibere. Ipse enim ait: Quodcunque vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. O verbum breue, sed non negligenter pensandum. Atque vtinam nostris bene esset affixum cordibus: certè non tam impatientes essemus, non tam inuiti fratribus & proximis nostris seruiremus & condoleremus. Et quid oro possit esse toleratu difficile aut molestum, si cogitemus quicquid proximis facimus, id perinde accipere Dominum, ac æquè remunerari, ac sibi ipsi factum sic? Quod qui sapius mente pertractant, non solum non grauatè, sed etiam hilariter & cum magna deuotione seruiunt proximo, contemplantes in homine personam Christi, ac sibi planè persuadentes, quod non homini, sed Christo seruiant. Hanc exemplum habemus in illa religiosa & admirabili vidua S. Elizabeth regina Hungariæ: quæ cum leprosos lauaret, & lectum illis sterperet, dicebat ancillis suis: O quàm bene nobiscum agitur, quod ita Christũ tractare nobis licet. Tertium quod de Martha commemorat Euangelium est, quod fuit sollicita & turbata erga plurima. Et quis possit vel cogitatione cõsequi, quantum turbata fuerit virgo mater in illa tam ignominiosa & acerba Filij sui passione, quando eum audiuit à Iuda proditum, à militibus captum & ligatum, ab omnibus discipulis in manibus furentium hostium derelictum? quando vidit eum Iudici exhibitum flagellis atrocissimè caesum, spinis coronatum, ad mortem damnatum, graui crucis pondere onustum, ad crucem clavis affixum, denique tribus horis summo cum dolore in cruce pendentem, & animam exhalantem? O quàm libenter omnia pro illo perpessa fuisset, quàm cupidè vel cum ipso crucifigi se passa fuisset. Non tamen fuit villo modo vitiose turbata, sed acerrimi doloris confixa aculeis, qui animæ illius incimas fodiebant medullas, & longè atrocius diris eam cruciabant vulneribus, quàm vllos vnquam martyres torserit seuæ crudelitas & immanis sauitia crudelium tyrannorum. Atque hac in parte etiam nos illi vtunque conformare debemus, dolendo & quasi conturbando nos ipsos, quod post tanta, tamquæ multifaria diuinitus percepta beneficia adhuc tam ingrati sumus Deo, quod penè continuè in multis illum offendimus. Itemquæ affligere & velut conturbare nos debemus operibus pœnitentiæ, & quibus caro crucietur, atque etiam Dominicæ passionis commemoratiõne, & fraternæ necessitatis commiseratione ac condolentia. Et hæc quidem de actiua vita dicta sint satis. Porro, contemplatiua vita cor exigit purum, quietum, tranquillum, & in quo vitiorum ac perturbationum tumultus consopiti sint. Hanc vitam etiam vos colitis dilectissimi, quando verbum Dei attentis cordis & corporis auribus auditis vel legitis, quando admiranda Dei opera piè consideratis, quod tam potenter cuncta fecerit ex nihilo, tam sapienter cuncta moderetur & regat, & tam benignè conseruet: quando etiam Domini passionem gratis mentibus reuoluitis, aut cæli gaudia, vel cruciatus inferorum, vel propria peccata cogitatis: itemquæ dum pro virtutibus & pro gratia Deum oratis. Hanc vitam B. Maria Magdalena designauit: de qua similiter tria habet Euangelium: quæ longè sublimius excursa est domina nostra semper virgo Maria. Primum, quod de Magdalena legitur, est quod sederit secus pedes Domini, & audierit verbũ illius.

S. Elizabeth.

Turbata qui fuerit beata Maria in Filij sui passionem.

Matt. 26. 77.  
Marc. 14. 5.  
Lucæ 22. 3.  
Ioan. 18. 29.

Turbati qui quisque debeat ob sua peccata.

Vita contemplatiua quid exigit à nobis.

Vita contemplatiua quænam tria à nobis requirat.  
Lucæ 10.

O quis

O quis capere possit, quoties virgo mater. Filij sui sermones dulcissimos attentissimis auribus hauserit? Ab infantia vsq; ad tricesimum annū semper illū presentem habuit domi suae, nec dubiū, quin multa & maxima ab illo fidei sacramēta didicerit, nulli vnquā alteri tam dilucidē patefacta. Nec tamen solum audiebat verbū Dei incarnatū carnis ore sua dicta exprimentē, sed etiam verbū increatū ac inspiratum intus in spiritu, ipsam mirabiliter instruentem ac edocentem, non voce carnis, sed spiritus aspiratione secreta & interna. Et hac quidem ratione nūquam discedebat ab auscultatione verbi Dei, utpote pro nimia animi puritate & serenitate semper parata & apta suscipere lucis supernae micantes radios, ac instinctus Spiritus sancti, quibus erudiebatur, yngebatur ac illustrabatur vltra quam cogitari queat. Alterū, quod de beata Maria Magdalena refertur est, quod sororem reliquerit solā ministrare. Exigit enim hoc vita contemplatiua, vt qui illius dulcedinem perfectē velit experiri, animum ab omnibus curis & sollicitudinibus abstrahat, atq; affectum à rebus temporarijs auellat (quanto enim plus amantur temporalia, vt ait D. Gregorius, tanto minus diligitur Deus) corq; suum figat in amore Dei. Id praclarē admodum fecit virgo beatissima: quae semper quidem ab externis curis & sollicitudinibus sese abduxit, atque ea ex causa etiam paupertatem amplexa est: maximē verò post Domini ascensionem id egit, quando nec filium habuit, nec maritum, nec agrum, nec parantes, & cetera, quae illius animum occupare, aut à Deo auocare potuissent, sed vixit in aedibus sancti Ioannis, cui eam Dominus à cruce commendarat, & alebatur elemosynis piorum: sicq; continuē operam dabat: vita contemplatiua studijs, in quibus erat exercitissima atque excellentissima. Interdū vero creditur pij amoris incitata affectu vistrasse loca conuersationis & passionis Filij sui: sed sapius sola in suis manens penetralibus, replebatur eximijs & incomprehensibilibus Dei consolacionibus & visitationibus, adeo vt nunquam corde à Deo abstracta sit. Tertium denique, quod beatae Mariae Magdalenez tribuitur est, quod optimā partem elegerit: ideo quidem optimā, quia non auferetur ab ea. Actiua vita simul cum homine moriente definit (Non enim erit vlla in caelis miseria, cui misericordiant oporteat impendi) Vita autem contemplatiua, cuius studia sunt mente ferri in Deum, Deum diligere, Deum laudare, Deum contemplari: ac Deo frui, hic inchoatur, & in caelis perficitur. Hic vero quid de matre Dei dicturi sumus? Quis hac in parte illi possit comparari, utpote quae etiam Deum per essentiam viderit in hac vita, excellentius multo, quam alius aliquis? Nemo sit tam rusticus, vt id velit scripturae autoritate probari. Non enim omnia scripta sunt. Quod Moysi, quod Paulo contigit, non multo magis tantae virgini contigisse putabimus? Negare possit: Deus matri, & matri tam singulari, quod seruis praestitit? Itaque ipsa pra omnibus perfectissimē partem optimam elegit, & vehementissimis ac ardentissimis inflammata desiderijs, tota iam erat à mundo absoluta, & tota in Deum recepta. O verē praclarā & omni venerationis ac amoris studio prosequendam virginem, quae adhuc in terris posita non terrenam, sed plus quam Angelicam ducebat vitam, nunquam vel tenuissimae clupae sentiens maculam, sed semper tota immaculata & pulchra tota, aeterni solis

yyy 4 radijs

B. Maria vif  
audierit ver-  
ba filij sui.

Vita contem-  
platiua vt re-  
quirat abstra-  
cti-nem me-  
tis à curis.

Vita B. Mariae  
post Christi  
ascensum qua-  
lis fuerit.  
Ioan. 19.

Vita contem-  
platiua quare  
pars opti-  
ma dicatur.

B. Maria vif  
elegerit par-  
tem optimā.  
Exod. 17.  
1. Cor. 13.

Cant. 4.

T. VI  
22

radijs semper exposita, semper perfusa, semper illustrata, ut illi facillimum fuerit per mentis excessum etiam rapi in Deum, & in dilecto suavissima mentis obdormitione quiescere.

Verum, ut quandoq; ab omnibus presentis vite miserijs absolueretur, & ad beatam ac continuam perueniret fruitionem, quam supra diximus certam esse vitam spiritalem, filius Dei misisse illi creditur angelum Gabrielem, qui ipsi obitum eius significaret. Collecti sunt autem Apostoli omnes, ut illi morienti insignis ille chorus adesset, & matrem Domini ex hoc mundo emigrantem mundi iudices & Ecclesie principes honorifice prosequerentur. Vbi autem hora illa aduenit, qua spiritum exhalaret, totus illi festiuus occurrisse creditur Dominus Iesus amantissimus Filius eius, cuius amore incomparabiliter ardebat, stipatus omnium beatorum angelorum, & animarum beatarum frequentia, qui omnes & singuli ita ut æquum erat, summo cum honore excipiebant, & vsque ad thronum glorie cum hymnis & canticis ineffabilibus deducebant. Cuius figura quædam legitur in Regum volumine, vbi Dauid scribitur cum omni Israele luisse coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis, atque adduxisse arcam Dei in ciuitatem Dauid cum gaudio, & in tubilo, & in clangore buccinæ, habuisseque secum choros septem, atque ita dominique introduxisse arcam Domini & posuisse eam in loco suo in mediatabernaculi, quod tetenderat ei Dauid. Quæ omnia pulcherrime quadrant ad presentis diei solennitatem, qua assumpta est virgo beata, quæ tanquam vera arca manna cæli panem scilicet verum, qui de cælo descendit in suo vtero continuit, & hodierna die vsque ad filij dexteram eleuata est. Voluit enim Filius Dei iuxta se habere excellentissimam creaturam, id est, matrem suam: sicut etiam doctores quidam aiunt singulis angelicis spiritibus singulos homines in cælos sociandos esse. Porro eandem benedictam virginem & matrem coronauit hodie Deus in reginam cæli, & dominam mundi, atque creaturarum omnium imperatricem, specialiter vero in matrem misericordie pro miseris peccatoribus pœnitere volentibus. Ut enim teste D. Bernardo, Deus Pater posuit Filium suum mediatorem inter se & mundum, quem etiam ideo voluit humanam sumere naturam, ut homines confidentius ad ipsum accederent: ita Dominus Iesus matrem suam voluit esse mediam inter se & homines, quæ cor haberet misericordissimum erga peccatores pœnitere volentes, & ad ipsam confugientes, cui thesauros gratiæ & misericordie suæ commisit, ita ut nihil velit impartiri hominibus, ut ait D. Bernardus, nisi per manus matris benedictæ. Diuisit enim cum ea regnum suum, & partibus iustitiæ sibi seruatis, illi misericordie ditionem tradidit, iustitiam quidem per sese faciens, misericordiam per matrem. Itaque dilectissimi confugiamus ad matrem gratiæ & misericordie, ut nobis gratiam & misericordiam conciliet. Id enim est officium illius. Certè libenter exaudiet nos, quia piissima est, & diligit homines, pro quibus nouit filium suum fudisse preciosum sanguinem suum, cui est honor in secula seculorum, Amen.

Ad obitum  
matris Dei  
quæ euacuat.

2. Reg. 6.

B. Maria ut  
sit arca Dei.  
Ioan. 6.

Bernardus.

Mater Dei ut  
sit mediatrix  
nostra.

Bernard.

